...alaël
...Warmiensis.

Poloniae Sen. Jem (Lucas Stowicki): Vaticanus honor-prorum Apolline salutatus.

VATICANUS HONOR IN DOMO HONORUM

EMINENTISSIMI

AC

CELSISSIMI PRINCIPIS

MICHAELIS

RADZIEIOWSKI

S. R. E.

CARDINALIS

EPISCOPI VARMIENSIS

PROCANCELLARII REGNI

prono Apolline

SALUTATUS

à Societate IESU Polona.

Lucas Stowski: Author.

Typis Clari Collegij Posnaniensis Societatis IESV Anno 1686.

Rndo Patri in Christo Patri Josepho Domagals[illegible]
amantissimo suo Patri [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible]


TEMPE RAT ASTRA GALERUS



EMINENTISSIME
CARDINALIS

ALto Sanguine rubebas, assurgebas Infulis, crescebas famâ, tantùm non hominis fortunam egressus, Tuo majora voto, sed paria menti augustæ Nomina gerebas, nullosq; Heroum Sangvis, *ac etiam* Regum, Antistes, Procancellarius, *ingens* Senator, & Columen Regni, *Fasces, nisi extra Patriam merebare. Et poteras. Facilè ab orbe convolant præmia, cùm domi virtus est. Expeditum Tibi, & Polono Orbi interesse, & Romæ promereri: in Patria Virtutes, peregre Virtutum præmia recensere, & quasi in Latium caput proferre ad Galeros. Augustior Natura sic Te extendit; Tu quidem, in cunis Illustribus, & inter purpuras vagire, fortunæ imputas: at neq; hæc flagitium est. Nascendi felicitas parat ingentes animos, & simul ad vitam, simul ad rerum gerendarum magnitudinem inaugurat. Iam si Paternum Genus repetatur,* Illustrissimus Hieronymus Radzieiowski, *Genitor Tuus, Procancellarius, pene Mens Regni: qui ut Poloniam Magno spiritu animabat, sic ne exanimaret sua morte, extra Patriam, pro Patria tamen, dum ad portam Othomanicam Legatus, Poloniæ fortunam tractat, Adrianopoli fatiscit, & saluti publicæ immoritur. Vir erat, qui & cum omnibus fatis luctari, & omnia superare potuit: dignus qui nasceretur STANISLAO*

SLAO

SLAO Rádzieiowski Ravensi ac tandem Lęciciæ Palatino; Alta Parente Sobieſcia, quæ, à Divis pene deductum Genus, uſque ad IOANNEM III. Invictum Poloniæ Regem propagavit, ut inter Stemmata, Regale SCVTVM recenſeres. De Matre ILLVSTRISSIMA, plus Magnificentiæ ſuxiſti, quàm lactis: Comes illa de Tarnow è ſtirpe, quæ & rugas contraxit, & Splendores quâdam eminendi conſvetudine; quæ annos non ariſtis, ſed Proceribus Regni tam abundè computavit ut uno tempore ſenatum Poloniæ compleret XVI Purpuratis Patribus. Nempe eadem erant, Tarnovium naſci & Senatorem. Genitricis Atavus IOANNES Tarnowski Caſtellanus Cracovienſis, Supremus Ductor Exercituum, qui poſt tot trophæa ab Auguſtiſsimo Romanorum Imperatore Ferdinando I. Summus Chriſtiani exercitûs Imperator deſtinatus eſt contra Solymannũ, ut mundo laboranti ſubveniret. Tu deinde, ne omnia fortunæ, pulchriſq; caſibus deberes, auguſta mente conſurgere malebas, ut Patritios ſoles novâ luce cumulares, palàmque foret, Maximos poſſe creſcere. At Eminentiſsime Cardinalis nemo Te poteſt laudare, niſi detrimento gloriæ. Quiſquis grandia de Te legerit, credet maxima celebrari; & interim ſcintilla ſoli, atomus Olympo, gutta Oceano, adjecta eſt. Quinimo dum Te continuò ſuperas; confudiſti ipſemet ſupremas laudes; ideoque Oratores abjecto paſsim calamo, queruntur, à Te fieri poſse ſumma, non poſſe deſcribi à diſertiſsimis; totamque perire artem Oratorum inter tantas Virtutes. Nam ſi Generis Alti Nomina repetantur; ingerunt ſe paria mentis decora, quibus primam adhuc ætatem ſic inſtruxeras, ut caneſcentibus aliorum virtutibus æquares tyrocinia Probitatis. Talibus inhæret Oratio? jam emicant Tiaræ, affulgent Mitræ, nitent Annuli Signatores, ſcintillant Gemmæ arcanorum Regni conſciæ. hæc ſerenitas diem parturit? Faſcibus illuſtrior pietas illam exſtinguit: & iterum ipſæ Virtutes pulchrâ ſe afficiunt injuriâ, dum una vincit alteram, ut inter præclarè actorum certamina, etiam de probitate triumphes. Sic enim Præ-

ſul

sul es, ut sacra mens è dignitatis fastigio velut è specula omnia perlustret: & subitò fortunatum est, quod vidisti: terras aspectu beatas facis. Sicubi horror, vel tristes ruina aris incubuere: squalorem submoves, ut renasci videantur templa, quæ adis. Quos fortuna pejor castigavit: erigis. Vix ullus lacrymâ, usitato miserorum telo contra infortunium pugnavit Te spectatore; Fortunam calamitas, à Te visa, fletu auspicatur. Rectè Princeps. Solis ingenium est, exterminare noctes: Principum, calamitates. Ad hæc continuum Tibi, aut contra Hæresum pestes, aut contra vitia, certamen est; ut constet bellatrice Domo eductum, solùmque Martiale nomen in sanctius commutâsse. & triumphas: hìc truncata membra ad Caput redeunt; hìc scelera posito nomine degenerant in Virtutes; nec impium esse potest, quod afflavisti spiritu Præsuleo. O Præsulem, qualem & evoluta retro secula, & in senium labentia meritò exambiant! Antistes! Iudex! *& tam aras pietate, quàm Iustitiâ Tribunal complet! nihil illo æquius, dum causas excutit. adeunt partes litigantium? patet totus & Princeps, & animus. lites exponunt? audiuntur. Ideoque palàm, murmure secundo fama jam olim jactabat: si è cunctis unus in Augusti Senatûs Curiam legendus foret, Te futurum, cui omnium suffragia consentirent: Si plures; Te primum. cæterùm non audebamus à Latio petere pro Te purpuram; ne quid magnũ precariò haberes; Tibi ne quidem mentionem tanti Honoris ingessimus; ne ante purpuram ruberet modestia: tamen extorsimus voto è cæli manibus, sed non aliter, quàm publicam Poloniæ felicitatem. Tu quidem deprimi Te putas, cùm attolleris; Nos credimus novum Poloniæ Sidus natum. Summum est istud* Eminentissime *provehi ab* Innocentio *XI. qui tantùm magnas & agit, & ornat Virtutes. Iam emine toto vertice: infra Te decrescunt Magnorum fastigia; nec sine plausu. Raro eminentia carent invidiâ: Tu provectus es, omnium lætitiâ. Attolli se Polonia putat Tua celsitudine, coronari Tuis Infulis: ut-*

que omnes pro Te Tiaram Cardinalitium ambiebamus, ita consentien tibus in plausum animis undique certatur. Ama vota, proba lætitias: Tua felicitate gestimus. Ac demum tamdiu Te nobis astra non invideant; donec munificè, quod summum est in terris, dederint. Dabunt: si tam facilè admiseris ingentia, ut mereris. Hoc inter plausus populorum votum inscribit, Tuis à nutibus pendens, semperq; Tua, licèt instituto Minima

Eminentissimæ Celsitudini Tuæ

devinctissima

Societas IESV.

ACcipe purpureum, decus immortale, Galerum
Præſul, & antiquis ſuperincubet altera Vittis
Vitta, Coronarum & capitis ſuprema Corona,
Quam merita virtute Tuo deſpondet Honori
Regnorum Regumq; Parens. Non vana precamur.
Nam ſatis eſt alijs tempus frenare Tiarâ:
Tu Princeps crinale decus, quod Varmia fronti
Imprimit, ad ſuperos tollis; ſed ſacra recenti
Virtutem fortuna Tuam dignata nitore,
Et titulus titulos, & honor parit unus Honores;
Vt veteres Mitras, Faſcesq; recentibus ornes,
Præſuleaſq; novum vittas diadema coronet.
Peccavit Fortuna prior (nam grandia dando,
Vix aliquid donâſſe Tibi, niſi maxima donent,
Creduntur ſuperi) cùm Magni Nomina tantùm
Principis auguſto junxit cum Præſule. Princeps,
Et Præſul fueras. admiſſum crimen honoris,
Fortunæque nefas, Tiberinus Rector ab alto,
Vnde videt populos, ac Regna, aſpexit, & auget
Nomina Nominibus, Vittas nova Vitta coronat.
Et jam ſublimi recubant in fronte Ducales,
Præſuleæque Mitræ; tandem rubet altior illis,
Sed par auguſtæ menti, Generique, Galerus.
Sic altùm aſſurgis Princeps, at Principe major,
Par ſolijs: vno ſolùm ad faſtigiâ paſſu
Elucteris adhuc, ſublimior omnibus ibis
Per ſumma, & tantúm minus ipſo Numine, Numen.
Si licet arcanas ſuperorum evolvere cauſas:
Cur dederint rubeas, Honor, & Fortuna, Tiaras,
Cum jam bina comas premerent diademata: pandam.
Fortè ſacris oculatus Honor proſpexit ab aulis,
Hinc, ubi digeſti pendent ex ordine Faſces,

Infulaque, & ſanctis juratus Scipio dextris,
Et Crux, cui ſe affigit honos, & ſanctius Oſtrum,
Mitræque & natus redimire excelſa Galerus
Tempora, ſublimeſque animas, queîs volvitur orbis,
Regnaque, circumagi velox quaſi cardine cælum.
Proſpexit, viditque Tuos ardere nitores:
Hinc conſanguineos accendit Regia ſoles,
AEternumque jubar fluit, immortaleque lumen
A CLYPEO MVNDI DEFENSORE: inde vetuſta
Patritiæ ſtirpis, revolutiſque agnita ſeclis
Nomina, non uno radiantur ſidere, & Agni
Auratum in radios criſpatur vellus. Avitam
Accumulas lucem Te toto in pectore Virtus;
At geminæ magno rutilant in Vertice Mitræ,
Conſentitque ſuis mens non obſcura Tiaris,
Dum capite, & meritis imples Diademata, Princeps.
Viderat iſtud honos, & ceu miſeratus: *Vt* (inquit)
Præſul ab accenſis hinc inde nitoribus ardet,
Et magnum nocet eſſe! novis equidem altiùs ibit
Nominibus, quæ fata parant, ſuperique vocantes
Grandius ad culmen, ſed cùm tot ſidera flagrant,
Totque urunt Soles: ATTEMPERET ASTRA GALERVS.
Suffragia Eminentiſſimo ad dignitatem Cardinalitiam.
Dixit, & a Tiberi donum non vile Tiara
Navigat. ignotum vates haud vanus, honoris
Arcanum evolui. Sed blandimenta Deorum
Deſint: non deerit meriti grave pondus. habenas
Terrarum, Princeps, oculo electore mereris,
Iudiceque aſpectu. nam majeſtate libratos
Alta humeros, quicunque videt, prope credit Atlantem,
Cui gravis incumbat ruituri ſarcina mundi.
Sic grauitas ſedet ore, nitor ſic fronte recumbit,
Sic mille ex ipſo ducis ſuffragia vultu

Adſa.

Ad Fascesꝫ veluti vigiles oculatior ignes
Nox vbi succendit: stellati mille pererrant
Excubiæ cæli: rosea igneus ora repandit
Hesperus, hic ardet, gladio metuendus Orion,
Hìc nimios cerni lento temone nitores
Arctophylax vehit, inde jubas fluitante sereno
Mænalis Vrsa ciet, venturi hìc præscia Phæbi,
Cum repetit nox cæca specum, vultu emicat Eos:
At comptos radio crines, imbutaque luce
Tempora si referat Titan, fugientia pallent
Sidera, & ex solo supremus noscitur ore
Astrorum Princeps: sic proderis indice vultu
Ad Trabeam, ut nec opus sit consultoribus astris.
Excubat in facie vates non vnus honoris,
Auguriumque in fronte loquax, oculique prophetæ.
Hæc melior Natura dedit, sed debuit. Ortus
Non humiles pulchro comit Lucina decore,
Vt faciat de stirpe fidem: de simplice plumbo,
Deque rudi trunco, satis est effingere toruos
Thersitæ genios: Lydum si funditur aurum,
Praxiteles Parium lacerat si vulnere saxum,
Phydiacumque lapis cælum si sentit: in auro
Siue Deæ vivant, ludantue, propinqua Deabus
Numina Reginæ, rigeant in marmore Reges,
Iupiter in sculptis jaculetur fulmina gemmis,
Herculeam impallens clauam formidet obryzum.
Materies commendat opus, nascique supremos
De summis natura jubet. Te fulgida (Princeps)
Excepere ostro priùs incunabula, quàm Sol:
Patritium pro Sole jubar præluxit, Avita *Genus Eminentissimi*
Stemmata pro cælo. adscitis minùs indiget Astris,
Patria nativo quem lux splendore serenat.

Tunc Gentilitius lætùm ballaverat Agnus,
Ceu daret ad Titulos, & honoros classica Fasces,
Tunc pronus nutavit honos, fastigiaque omnis
Acclinavit apex, tunc vivo accendit ab igne
Ex Atavis claras æterna insignia Ceras,
Terrarumque DEOS, formidatumque Tyrannis
In consanguineo sociavit fædere Regem
Nobilior Lucina. vias patefecit easdem
Ad vitam fascesque Tibi Trabeata Vetustas;
Ne nisi fatorum scelere absque Curulibus esses.
Qualis in Idæo nutritus monte Satelles
Fulminis, è patrio dum tranat in àëra nido,
Impigra sublimi nubem secat ala volatu;
Cumque Cygnus plumam fidi lavat amne Caystri;
Et tumido volucris Iunonia syrmate terram
Everrit, Palamedis aves dum nube feruntur;
Ille memor generis, nidique, patrisque, suæque
Indolis, elato occurrentia Gargara cælo
Præterabit volitans, & stellis nomina miscet,
Et solem libat, nulloque adit astra magistro,
Vel domino. sublimè docet natura volare.
Et satis est Aquilam nasci, satis ire paterno
Tramite: penna probat Regem, probat ipse volatus.
Sic Tua Nobilitas Præsul se sentit, & altùm
Ingenio stimulante volat. nec repere pulchrùm
Cui planum signavit iter fortuna sub astra.
At neque tardâsti celsas spes indole: primo
Grandia vagitu de Te sperare jubebas.
Ingentes ex Patre animos formare decebat,
Iam Majestati similes componere vultus,
Iam domino nutu magnis præludere fatis,
Iam totum facili Genitorem reddere fronte.

Sæpe

Sæpe Pater dixit (quis enim non credat amori, *Ab Illustris- simo Parente, Filius Consolatio nus vocatus*
Aut de prole Patri?) tenerum SOLATIA Natum,
Spem Patriæ, Columenque Domûs, dignumq; Nepotē,
Qui tantis pareretur Avis, Nomenque Paternum
Maternumque Genus solito cumularet honore.
Nec Genitor se fallit amans, nec vota laborant
Spe vacua: retines Princeps, quæcunque spopondit
Augur amor, multosque probas vovisse minora.
Et summis innata Viris in pectore virtus *Majorum Imitator Eminentis- simus*
Ardet, ut ad superos, rapiat vis ignea mentem,
Grandiaque ad Patrum Virtus exempla calescit;
Vt quod Avi magnum generosa mente ferebant,
Tu spires, geminesque Atavos Virtute: proinde
Cognata meritum, & Sanguis Tibi texit in Aula
Purpureos cultus. Non tantùm Sangvine magno
Te facis ingentem: Probitas in nomina sudat.
Quos Fâsces natura parat, pietate mereris,
Fortunamque ingens animus sibi gignit, & altum
Mercaris pietate, domi sub pectore gestas
Virtutem, sed habes peregré sudata per oras
Præmia. Sarmaticus primò meritam ambiit Orbis
Infrenâsse comam, dextramque accendere gemmâ,
Gemmâ arcanorum Regni Regisque fideli.
Sed meminisse juvat feras abeuntis in oras,
Hospite quas passu, sic perlustrare libebat, *Exteras gentes adit Eminentis- simus*
Vt simul eximiæ virtutis Regna subires,
A Patria multum, nihil a pietate recedens.
Cum ferres generosa gravi miracula vultu
Spectator spectandus eras. potuisset, in uno
Te mundus, quàm Tu in toto plus cernere mundo:
Majorem terris animum mentemque gerebas.
Nec tantùm peregrinus iners spectacula captas

 Gentium

Gentium: in externis quæsita scientia Regnis.
Ergo Solum Musis natale Lutetia docto
Deligitur primùm studio. Sed quantus anhelas,
Vt pietas pectus, teneram Sapientia mentem
Imbuat? ut raperet, non sic sudabat Vlysses,
Palladium Trojæ, vel Phryxo vellus Iason.
Prima alijs ætas, veluti ratis icta procellis
Defluit. hic dubiæ syrtes, hic littus iniqum,
Hìc blandæ sirenes amant, perimuntque canendo:
At Tua tranquillo currebat cymba profundo,
Vt magnam properare ratim constaret in altum.

In Collegio Claromontano Soc. Iesu literas edifcit Eminentissimus.

Sæpe tuebatur superis Ignatius aulis,
Gaudebatque suas Tibi deservire palæstras,
Edisci musas, vinci virtutibus annos.
Sic teneræ grave pondus erat, pretiumque juventæ,
Vt torvus Chiron nisi quod laudaret, haberet:
Hinc cumulata novo Claromontana nitore
Pallas, & ad Divos toto se culmine vexit.

Pragam adit.

Musarum mox fausta nutrix Te Praga recepit,
Mentis ubi multus delebas laude recenti

Postliminio Parisios repetit.

Antiqvas laudes: iterumque Lutetia traxit.
Vt se multiplicat virtus! ut dividit Orbi!

Philosophiam Theologiamque discit in Collegio Plessæo

Hic ubi Plessææ tollunt fastigia Athenæ,
Famaque, & augustis habitat Sapientia tectis,
Callida Socraticis sonuerunt atria rixis,
Et docta Plato tusse crepat, capitisque profundus
Altùm sidereos sensus rimatur Aquinas:
Impleri toto potuisti Numine Præsul,
Et capere Euripos, & Divûm arcana subire.
Iam Scaldim biberas, & amico Seqvana fonte
Laverat exustum peregrino sole: deinde
Libato Tiberi, sub patria tecta redîstis;

Sed

Sed referens sublime caput, quod sidera posset
Excutere, & cælos. Deerant in fronte Tiaræ:
Sola coronabat Majestas, dignaque Mitris,
Et Trabeâ Virtus. meritam neque Scipio dextram
Implebat, rerum Columen prægrande Tuarum,
Innixusque Tibi, decorique innixus Avito
Stabas: interea celeri fortuna parabat
Conatu Vittasque comis, Ostrumque lacertos
Sed dubia, augusto quas primùm vertice Mitras
Poneret: ambiguam Pietas effecerat illa,
Quam poterant omnes meritò cohibere Tiaræ;
Nulla satis. Si mille Tibi natura dedisset
Frontes, mille Mitras meritumque Genusque petebant *Præsul Varmiensis*
Varmiacas (sic fatus Honor) *micuisse Tiaras*
Nunc juvat, & Titulos, & Mitras Principis, olim,
Sed maiora, dabit fatum, superiq; fauentes
Ad decora Hesperii deducent usque Senatûs,
Vt cum non poterit duplex præcingere totum
Vitta caput, rerum dominæ deductus ab urbe
Advena penset Honor. dixit. cum gemmeus alto
Vertice fulsit apex, mitra adorandamq bicornis
Incendit frontem. sic Princeps, Præsul, & ingens
Varmiacæ Columen terræ, sidusque micabas.
Ecce recens veterem velut emendaret honorem, *Procancellarius Regni.*
Annulus irrepsit manui, titulosque secundi
Auxerunt Calami. sed talis gloria Princeps
Pene rudimentum fuit ad fastigia. namque
Implicuit rubeo Latium diademate crines, *Cardinalis S. R. E.*
Accepitque sacro circumvallata Senatu
Curia, & Ausoniis Te Majestatibus infert.
Tantus es ô Princeps, ut possit Roma, Lechusque
Partiri; sed adhuc superest, quod dividat Orbis!

Par animus mundo, non impar gloria, Virtus
Non infra mentem, vel laudem reptat. eodem
Pondere librantur. populi ſpes ergo probatur,
Quodque precabamur, non audent aſtra negare:
Numina cum noſtris, nequeunt contendere votis.
Qvæ volumus, reddant; ne diffidentia cælos
Mortaleſque agitet. jam pridem (credito Princeps)
Publica purpureos pingebant vota Galeros,
Famaque texebat, quod nunc ſuperinduis oſtrum.
Hoc, Te qui nôrant, ponebant cardine rerum.
Nec ratibus remiſque Thetis ſulcatur, ut auro
Hirſutam raptemus ovem; ſed navigat ultro
A mundo peregrinus Honor, quæritque lacertos
Purpura, quos ornet. non emptor cenſus habenas
Gignit: ſtat pretium meritis, virtuſque decores
Taxat. non faſtus, ſcelerique ſimillima frontem
Modeſtiæ Eminentiſſimi. Ambitio redimit. Nolentem Tænia velat,
Contemptuſque Mitræ, Mitras & nomina condit.
Purpureum quicunque Tibi diadema vovebat,
Immani voto veluti crudelis amicus
Sævit in mentem, quæ ſcitque poteſtque mereri
Summa; ambire neqvit: depingebatque modeſtum
Ceu ad grande nefas fortunæ, purpura vultum.
Ergo merebare, ut meriti decorumque puderet?
Aut meruiſſe ſatis? non faſces parturit uſus:
Ignotum Te Roma colit. ſi noſceret? ires
Altior. ignotum ſed enim Te dicere, crimen.
Romæ Ius Canonicum didicit Eminentiſſimus. Prodit ſe Pietas, velut atris ignis in umbris.
Quin memor eſt primæ, retinetque exempla juventæ
Roma capi facilis magnæ virtutis amore;
Vidit Aventinum, cùm quondam jura daturvs,
Iuri impallebas, *Regni ſpes alta Poloni.*

Iuſtitiæ

Justitiæ doctos nunc impallescat ad usus,
(Ajebat Latium) *merita post fronte rubebit*
Pallor· & Hesperiis primùm deuotus in aris
Cum caderet tonso crinis de vertice; damna
Nudati capitis consecrabantur honori.
Fascia nunc ornat, quod tunc nudaverat Ordo.
At Tu cui famulo Tiberis se gurgite volvit,
Et Vaticanum resupino vertice nutat,
Decrescitque jugum, cui pronior attremit Orbis,
Dum servit: qui Regna pari cælosque coerces
Imperio Tiberine Pater, pro Præsule laudes
Accipe: non poterat vertex sublimiùs iste
Crescere, qui geminæ surgebat culmine vittæ
Vicinus superis; nisi Tu, qui celsior Orbe
Et Soliis major Reges ac Regna tueris
E specula mundi, cui se capitisque minores
Adsternunt populi, majoraque Sceptra reclinant,
Crescere Purpureis titulisque mitrisque juberes.
Terrarum supreme Pater, miracula mundus
Momento geminata stupet, solemque secundum
Septembris memoranda inter portenta recenset;
Dum geminas acies, gemino certamine vincis:
Turca Budæ captus petitur; Capita alta per orbem.
A nervo cadit ille Tuo, quo bella geruntur;
Ille Tua pietate, Tuo prosternitur auro,
Aurea Tarpeia quod dextera fundit ab arce,
Vt tandem in melius pretium ferrata refingas
Secula, raptoresque auri moriantur ab auro
Bistones. hi rubeos attollunt fronte Galeros;
Edomitus toto decrescit vertice Biston;
Purpurei toto succrescunt vertice Patres.
Vnâ utrique rubent, sed fuso sangvine Thraces,

Ibidem Minoribus Ordinibus initiatus Eminentissimus.

Allocutio ad Innocentium XI. Pontificem Maximum.

2. Septem: & Buda Turcis erepta & Cardinales creati.

Purpu-

Purpureis Patres nitidè rubuere Tiaris.
Prodigium Latii! Mundi placidiſsime Præſes
Dum regis innocuo terras moderamine; Thraci
Te ſanctum nocet eſſe, nihilque nocentius unquam,
Nomine truncato, quàm Te & Tua bella fatetur.
At populi, quos certa tenet pietaſque, fideſque,
Altos concipiunt animos de Præſule; creſcit
Hoc ſummo Rectore Orbis, defenſaque lætam
Relligio tollit frontem, dum miſſa per orbem
Conſilia, & nummi ſtimulant ad bella Dynaſtas.
Sic Defenſorem mundi, dum ſuſtinet orbem
Et mundi probat eſſe Patrem, cùm Faſcibus ornat
Quæſitos per Regna Viros, cùm longa per orbem
Purpureas diſpenſat opes manus, atque Galeros
Iactat, ut emeritæ ſurgant diademate frontes.
27. Creati Cardinales Nec tenui numero vehitur fortuna; rubentes
Viginti ſeptemque, dies dedit una, coronas;
Vt ſeſe ſubitò ſentirent regna rubere.
O pulchrum meritis injecit Roma pudorem!
Confundat ſimili Virtutes ſæpe rubore!
Et Lechiam Vittæ decorant, interque Polonos
Romulei Faſces numerantur. Varmia (Princeps)
Atque tuo totum rutilant à murice Regnum:
Vt cùm promeritos geſtas præ fronte Decores
Et Te, & Sarmatiæ votum mitra una coronet;
Iamque rubes multus: Genus alto ſanguine Regum
Erubuit, Petaſoque caput, Trabeâque lacerti;
Omnis & è Patrio jam Purpura texitur Agno.
Virtutes Honoribus conjunctæ. Aſt animum meliore DEVS Tibi murice pinxit.
In Trabea quantum minii eſt, in mente pudoris
Tantundem: rubuitque Tuis virtutibus oſtrum
Antiſtes. Pleroſque facit fortuna nocentes:

Tu tan-

Tu tantò melior, quantò ſublimior exſtas:
Et caput, & mentem vicina ad ſidera tollis,
Quin ſuperas, adeunte DEOS virtute, Tiaram.
Cumque ſuper Faſces ſurgas, recubantibus infra
Virtutem titulis gaudes feciſſe pudorem.
Scilicet auguſtam generoſi pectoris aulam
Grandia virtutum complent inſignia, & extra
Mentem ceu famuli præter palatia Regum
Atria magnifico circumſedêre tumultu.
Nam ſolers habitat plenam Sapientia mentem,
Pectus habet Candor, comit clementia vultum,
Alta ſupercilium majeſtas tollit, in ore
Lenè micant Charites, deîcitque modeſtia frontem
Infra Fortunas, oculos vigilantia multo
Irradiat cælo. terris ſi fortè periret;
Tota tuo repetenda foret de pectore virtus.
Hinc habet addictos pietas fidiſsima Divos,
Et faciles ad vota DEOS, & ſidus amicum.
Sic loqueris ſuperis, ut vel prece Numina cogas.
Quando vocat Regem, Regnumq; ad bella Gradivus, *Tempore expeditionis bellicæ ſingulariſſima Eminentiſſimi devotio*
Igneaque in ſtrages Orientis fulmina Lechi,
Difficiles cædi Turcas facileſque Gelonos,
Diffugere, atque genus populorum mobile Dacos
Vindice caſtigant ferro: Mavorte caleſcis,
Quo Tua ſtirps arſit; ſed cùm pro caſside ſanctus
Munit apex frontem, pro ferro Scipio dextram:
Tu tamen & patriæ memor, & virtutis Avitæ,
Conſilio pugnas, pietate armatus in hoſtem
Claſsica triſtè tonas, dum ſupplex Numina terris
Blanda facis precibus: ſed ſic à vindice ducis
Suppetias cælo, ſic & Commilito Regi
Fit DEVS, & Socios pugnanda ad prælia Divos

Miles habet, quos tu pergis, conducere votis.
Præsuleæ virtutes An memorem Vittas Princeps? adamantina crinem
Dum Mitra illustrat, non sic urente pyropo
Ardet, aut gemmis stellatus fronte Tiaras,
Vt pietate Tua. Quid verò Scipio? celsa
Fronte ceu columen, surgit quod fulciat orbem,
Tuta cui Lechiæ fortuna incumbere possit.
Non pigra stagnanti se mens probitate coercet,
Aut deses pietas secreta marcet in æde:
Sæpe Diæcesim visens, superûmque Penates,
Magna jubes fieri; jubeas licèt omnia, fiunt.
Vt cum fæcundo Nilus devolvitur amne
Arva per AEgypti, sterilis pinguescit ab undis
Gleba sitimque domat terræ circumflua Tethys,
Hanc sequitur fluitans culmis, Opulentia campi,
Pone Ceres flavens, & aperto Copia cornu,
Quosque lavat Nilus, probrum est sterilescere sulcos.
Sic quò Præsul abis, pietas vestigia prensat,
Ceu solem comes umbra; vehisque ingentia tecum
Agmina virtutum: spatio nec sistis in ullo
Quin probitas veniat; quasi ferres semina recti
Mandaresque animis: Sic crescit Te hospite virtus.
Zelus Emi-nentissimi in reducen-dis ad Ec-clesiam Hæreticis. Si jaceat truncata caput, sine vertice monstrum
Hæresis, avulsos capiti conjungere truncos
Corruptamque fidem veris reparare Magistris
Pergis, & ad Latii mundique reducere Patrem.
Sæpe etiam lenis persuadet dictio lapsis
Obsequium, probrumque putant non ferre, quod optas.
Sin duri renuant veluti Marpesia cautes
Imperium sentire animi, Tu more Tonantis
Et majestatem & vires quasi fulmina torques.
...ecclesiam, Hoc anceps fidei nuper Livonia sensit,

Hoc

Hoc Piltinenses trepido sensere pavore,
Diœcesim Piltinensem integro seculo hæreticam vindicat.
Dum scelus annosum vexas, veteranaque probra
Vltor perfidiæ plectis, quod tota ferebant
Secula; Tu subito castigas crimen adultum.
Delubris reddis Mystas, delubraque Mystis;
Munificentia in ædificandis reparandis ditandisque ædibus sacris.
Hic Templa exornas, hic surgunt turribus Aræ,
Augustasque domos pariunt æraria Divis,
Inde fatiscentes senio, pronasqne ruinæ
Sustentas ædes nummis, vitiosaque, labi
Tecta vetas. testem tollit Varsavia Turrim,
Surgunt Varmiaci testantia culmina templi,
Collucentque ædes, ardentque sacraria donis
Quæ tua munificis fundunt æraria venis.
At Lindanæ ædes, devotaque fana Parenti
Numinis, in nubes celerato vertice surgunt;
Auctaque Præsuleo nituit Crilovia censu.
Mæcenas Superûm es, Princeps, interque clientes
Numen habes: cælumque Tuo ditescit ab auro.
Cumque parum docuisse putes ratione valentes,
Vt portenta patret pietas; elementa fatigas
Ad Superos, lapidesque doces servire Tonanti.
Sic Te longævum reparatis Numina Templis,
Vt Tu Numinibus conservas Templa. perennet,
Et cùm saxa cadent, ignoret fama ruinam.
Quâ Calamos Regni tractas, quâ laude Sigillum
Virtutes Procancellarii.
Regia Mens, Genius Patriæ, Vox publica Lechi!
Dum loqueris: Regnum, Majestatemque putamus
Alta loqui, quoties vel Libertatis amore
Vel studio Pietatis agis, nascuntur ab ore
Libertas Pietasque Tuo. sic vota recenses
Libera; ceu jubeas: & vocem fata sequuntur.
At quoties justum libet insedisse Tribunal,
Æquitas judiciorum;

 Astræam

Astræam dominis revocas ex æthere jussis.
AEqua Themis se lance Tua librat, AEacus ipse,
Ipse Tuum Minos, si litem causa moveret,
Mallet adire forum. Neque jus divenditur auro,
Fas neque. Iustitiam sine censu nuda tuetur
Res, mutumque æquum sibi facundissimus actor.
Clementia in egenos. Nec tenuis fortuna nefas, nec crimen egestas
Creditur, aut virtus, prægnans opulentia nummis.
Sæpe videbatur fidei corruptor Athenis
Nummus, & in tenebris sæpe affulgebat obryzum:
Tu sine Cecropiis nisi causas conspicis umbris,
Estque suum liti penso sine munere pondus.
In tenui venale foro jus. quæritur aurum;
Cùm virtus pretiosa deest. Tu dives es ipso
Te, Princeps, plenoque geris sub pectore gazam,
Ipse Tibi pretium, nec vilis Gemma Sigilli:
Indeque Signator non opprimit. imprimit æquum
Annulus; & pallent timidæ Te fallere chartæ.
Sin dubiam perplexa movet discordia litem,
Tu quasi Sol radio noctes, fluctusque tridente
Pacator pelagi Neptunus, atroxque iubere
AEolus, insana obluctantis jurgia Cauri
Illustrissimus Parens Eminentissimi quondam Procancellarius REGNI. Componis. constatque sibi non mobile verum
Iudice Te. vt faveas æquo, non lege teneris;
Virtutem Natura parat, moresque Paterni.
Nempe Tibi Patriam nascendi fata dedêre
Et mentem, & nomen. quam Tu justissime Princeps
Nunc tractas Gemmam, Genitor tractabat, ut usu
Iustitiam pareret Tibi consvetudo Sigilli,
Totus & in simili Genitor post funera Nato
Viveret: hinc quoties æquo moderamine causas
Discutis, obscuro Patrios à marmore manes
Credi.